

39. Lionello Chierigato, vescovo di Concordia e Giovanni de Fonsalida,
vescovo di Terni, a papa Alessandro VI.

Bracciano, 21 dicembre [1494].

Beatissime pater et clementissime domine post pedum oscula beatorum etc. Venimus XIX^a die presentis mensis huc cum Regia Maestate, ubi invenimus r^{mum} d. cardinalem S. Severini, quem audientes missum a S^{te} V. eadem nocte visitavimus et ei nos et operam nostram obtulimus ad peragenda que S^{ti} V. placerent. Respondit se fuisse regem alloquutum, sed non habuisse conclusivum responsum, quod sibi sequenti mane daretur; que autem habuerat a rege S^{ti} V. per proprium nuntium significavit, propterea non opus est, ut eius verba reiteremus.

Heri fuit dilatum regium responsum usque post prandium, postea vocatus sine responso remissus est, ita consulentibus, ut arbitramur et vidimus, eramus enim presentes, his quibus eius legatio non placebat. Dilata et responsio usque post refectionem, sed neque tunc data fuit. Associavimus et frequentavimus eundem d. cardinalem, quia in rem esse putavimus quocumque intentio eius tenderet. Ipse egre ferens eiusmodi dilationem multa nobiscum solito aptius loquutus est, que in favorem S^{tis} V. tendere videntur.

Heri nocte tubicen custodie S^{tis} V. reddidit nobis breve eiusdem cum copia brevis ad regem inclusa. Hoc mane fuimus cum d. Sancti Severini et communicavimus ei que habueramus a S^{te} V.; placuit ei ut sollicitaremus eius expeditionem. Accessimus ad regem priusquam cameram exiret et rettulimus ei que S^{tas} V. nobis significaverat; placuerunt sibi bona verba prolata ex parte S^{tis} V. Instetimus deinde pro expeditione d. Sancti Severini, respondit quod statim post missam ipsum expediret. Missa audita dilatum est responsum post prandium.

Idem facimus cum proceribus, quod cum rege egimus, qui letati sunt in his que eis diximus et responderunt d. Sancti Severini statim fore expediendum. Contristati enim fuerant nonnulli ex eis videntes nos regem alloqui putantes nos ab eo licentiam capere ad S^{tem} V. redeundi. Marescallus hospitiorum qui fuit orator apud S^{tem} V. et ab ea nobiscum recessit antequam hinc discederet Anguillariam ad parandum hospitium pro rege, rogavit nos, ut S^{ti} V. commendaremus fratrem eius episcopum Noviomensem.¹

Quod responsum habuerit r^{mus} d. Sancti Severini ipse scribit Beati-
tudini V. cuius sacris pedibus nos humiliter commendamus, quam Altis-
simus ad vota felicitet.

Brachiani die XXI. decembris.

S^{tis} V.

humillimi servuli

L. Concordien. Jo. Interamneñ.

[A tergo]: S^{mo} D. N. Pape.

Originale con sigillo. Arm. 15, C. 12, n. 3, p. 26.

¹ Charles Dangest, vedi EUBEL II, 227.